

» arbitramur liquere: sed illo praeципue quod superioribus annis sua
» sanctitas ac nos quietis Italiae avidissimi qualemcumque pacem
» bello, quo tum longe superior erat ecclesia, praeferre maluimus.
» Quod quidem eo magis ferimus quod ultra voluntatem et propo-
» situm suae beatitudinis et nostrum Excell. vestram id maxime
» cupientem videbamus. Quis igitur sanctitatem suam nosque non
» summopere laudaverit, si perseverantes in instituto nostro lau-
» dabilis quietis italicae comparandae conservandaeque cum prae-
» senti hoc et periculo bello, quo ea, quae sua Sanctitas recen-
» set damna et incommoda sedi apostolicae ac S. R. Ec. merito
» vestrae cels. causa illata fuere, pacem et concordiam universa-
» lem, ita maxime suadentibus et supplicantibus per oratores suos
» ad id missos ser. Hispaniae rege ac regina et universa prope
» Italia, commutavimus? Profecto nemo, nisi ipsius pacis ac reli-
» gionis christianaे turbator. Quae omnia sua sanctitas nosque
» eo libentius fecimus, quo sicuti superiore bello ad pacem erat,
» ita nunc V. cels. ad communem mutuamque concordiam, ad re-
» restituenda ablata, sicuti caeteri Italiae potentatus faciunt, ad
» deponenda odia et simultates propensam esse facile credidimus.
» Hortamus igitur quanto maxime possumus affectu V. Exellen.,
» quae semper discordiarum semina eruere consuevit, ut quemad-
» modum reliqui Italiae principatus facere, velit et ipsa ad hanc
» communem et opportunam ad reprimendos infringendosque ho-
» stium fidei catholicae conatus concordiam accedere, arma depo-
» ponere, Ferrariaque urbe ecclesiae tam insigni obsidionem amo-
» vere. Quod si V. cel., ut pro sua singulari justitia sapientiaque
» confidimus et optamus, executioni mandaverit, utilitati reipubli-
» cae christianaë et quae nunc in maximo periculo versatur totius
» Italiae quieti consulat; cunctas suspitiones cupiditatis dominandi
» tollens ac denique apud omnes laudem et gloriam immortalem
» consequetur. Praeterea, ut sua Bea. scribit, si quid est quod de-
» duce illo conqueri possit, V. cel. praeter rectum summi ponti-
» ficiis judicium, quod sibi minime defuturum est, operam nostram